Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1887
Quelle:
Copyright:

ergo Serenissime Princeps quantulumcunque meum erga catholicam Ecclesiam tam misere hæreticorum prauitate discerptam ac deformatam zelum demonstrem — falcem in alienam messem mittere non erubesco; cum — perspectissimum habeam, necdum eadem diuulganda ab Auctore typis mandari. Exspacians itaque latius in amænissimum Concionum Præsulis Neapolitani campum — flosculos — auulsi et in hunc libellum congessi. — Si Tua Serenitas — comprobabit, impensi huius studij me minime pænitebit, expeditiorem me etiam in posterum ad describenda, quæ restant, quamplurima sentiet.

CCCCLXXX.

673 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 145. 4. nitide scriptus hoc Titulo est: *Ad Serenissimum et Illustrissimum Principem ac Dominum, Dominum Mathiam Archiducem Austriæ — Christianæ Fidei circa Eucharistiæ Sacramentum Exercitatio. Per F. Valentinum Fricium Burgauiensem ordinis Minorum regularis obseruantię eidem Ser^mo. Principi a sacris confessionibus, eiusdemque ordinis per Germaniam, Vngariam, Bohemiam et Poloniam Generalem Commissarium.* E Praefatione, quae incipit: *Si Tibi videbor Serenissime Archidux Mathia, in eo quod pridem pro tua pietate mihi demandaras, tuam diutius, quam par fuerit, expectationem tenuisse, quiduis mihi potius obijci patiar, quam hoc vlla mea tibi gratificandi negligentia contigisse* &c. liquet, Autorem profectione *Neapolitana*, adversa quatuor mensium valetudine, cura extruendi Franciscanae Familiae *Viennensis* Monasterii, et commissorum sibi, vt minimum, *trium millium hominum Serapbici ordinis* hactenus impeditum fuisse, quo minus *Mathiae* obsequeretur. Opus deinde suum ita adumbrat: *Posito diuinæ Scripturæ testimonio, de conditis a Deo primis humani generis parentibus, de constituta ipsis fidei erga Deum lege, quam perfidia violarint, et violando naturæ suæ integritate exciderint, diuinam in se iram prouocarint, vitiosa et corrupta natura suam posteritatem infecerint; eo rem deduco, vt ostendam quouis tempore Deum ab hominibus fidem erga se ad salutem exegisse, et Sacramentorum siue in ueteri siue in noua lege a se institutorum salutarem vsum in fide ipsis collocasse: Inde ad Eucharistiæ sacramentum considerationem transfero, eique via quadam fidei sic insisto, vt ex ijs, quæ authoritate diuina tenenda sunt, ea in medium producam, quæ de illo sacramento semper docuit et credidit Catholica Ecclesia: nec alijs fere, quam accersitis e Scriptura testimonijs in ista consideratione vtar.* E Patribus non nisi ad *Ambrosium* et *Augustinum* parce se provocaturum, nec nominaturum *Ecclesiae calumniatores.* Mox ad Hominum de labore suo judicia, ad Stirpis *Ostriacae* (ita enim scribit)